

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0158

0156

0162

0152

0167

0147

0207

0107

0257

0057

0657

147

Peregrinatio ad mare mortuum.

Undecima die, antequam illucesceret, venit Ameth cum mulis, asinis et servis in montem Syon, et pulsantes ad ostium Conventus postulabant peregrinos, nullus autem erat de peregrinis in conventu nisi ego. Cucurri itaque in tenebris de Syon usque in Mello ad domum Elphahalli, in qua domini peregrini manebant, ubi pulsans lapide ostium eos excitavi, et ascenderunt mecum illi, qui peregrinari volebant. Ascensis itaque bestiis de monte Syon descendimus in vallem Siloae et juxta natatoria in profundis Toph et Gehennae descendimus (B) per horribilem gehennalem vallem, et adhuc erant tenebrae; noctes tamen videbantur mihi non esse adeo tenebrosae in transmarinis regionibus, sicut apud nos sunt, non enim sunt ibi nebulae aut nubes, quibus siderum obfuscatur coruscatio. Interea aurora consurrexit, et nos continue per vallem arctam ab utraque parte petris superpendentibus descendimus, quousque sol in altum ascendit. Erat autem vallis asperrima, saxis plena et lapidibus, a quibus terra erat deducta per aquarum decursum pro tempore. Tanto enim impetu decurrunt ibi aquae suo tempore, ut magna saxa de suis locis avellantur et deducantur. Et supremum illius vallis est vallis Josaphat et torrens Cedron, nec potui notare ibi esse decursum perennem arcus fluminis, ut supra dixi fol. 232.

Cum autem descendendo venissemus ad duo milliaria germanica bona, incipiebat fieri vallis acrior et asperior, et in ista arctitudine venimus ad monasterium S. Sabbae Abbatis, et ingressi monasterium a Cologeris monachis graecis reverentialiter suscepti fuimus. Reperimus autem in monasterio multos Arabes deserti, colonos et viarum praedones, ad quorum aspectum vehementer exterriti sumus, suspicantes, nos esse traditos. Et ipsum ductorem nostrum, dominum Ameth, suspectum habuimus, quod malum contra nos machinari vellet. Hoc ut notavit, venit cum praefecto illorum praedonum Arabum ad habitaculum, in quod ducti fueramus, et ambo datis dextris nobis promiserunt securitatem in rebus et corporibus. Si autem eos curtusia vel aliquibus bibalibus honorare vellemus, paratos eos haberemus etiam ad descendendum

10 *

Ende

Anfang